

rum *In chremis Qui eum furat ille a laqueo se suspendat.*

X. VI A 17

- 17 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 278. Est Pars V. et ultima *Bibliorum*, de quibus supra. Continet Libros N. T. hoc ordine: *Evangelia Matthaei, Marci, Lucae, Johannis. Epistolas Pauli ad Rom. ad Corinth. II. ad Galatas. ad Epbes. ad Philippens. ad Colossens. ad Theffalonicens. II. ad Timotheum II. ad Tit. ad Philemon. ad Hebraeos. Actus Apostolor. Epistolas Canonicas Jacobi, Petri II. Johannis III. Judae ac tandem Apocalypsin.* Omnia haec brevibus Praeloquiis instructa sunt; per errorem tamen Praeloquium *Epistolae Judae* ante tertiam *Johannis* scriptum est. Locus de Testimonio I. *Joh. c. 5. v. 7.* sic habet: *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in terra. Spiritus, aqua et sanguis: et tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in celo. pater et uerbum, et spiritus sanctus. et hij tres unum sunt.* Codex demum hoc epiphonemate terminatur: *Anno incarnationis domini nostri iesu cristi. M^o. CCC^o. XXXIII. sequenti die Processi et Martiniani. Ego Chumradus Sæuicus scriptor incepi hoc opus. et deo dante perfeci Prisce. v. M^o. CCC^o. XXXIIII^o. Deo Gracias.* Id, quod de ultimo solum Tomo five N. T. intelligi debere, cum breve sex mensium spatium, tum alia hujus To-

mi, eaque minus elegans et accurata manus evincit.

Ceterum insigne isthoc *Bibliorum Exemplar*, utut *Psalterio* destituatur, iis, quae in *Lelongii Biblioth. sacra* enumerantur, omni jure accenseri postulat.

XI. VI B. 7

Codex membraneus lat. Sec. 60 XV. Folior. 155. f. per duas columnas eleganter scriptus, frontibus librorum deauratis et picturatis est *Tomus I. Sacrorum Bibliorum* ex *Versione Hieronymi*, cujus Praefationes ubique praefatae sunt. Habetur vero hic *Pentateuchus, Liber Josue, Judicum et Ruth*, omnes in *Capita* distincti.

XII. VI B. 8

Codex membraneus lat. Sec. 61 XV. Folior. 204. scriptus et ornatus uti praecedens, est *Tomus II. Sacrorum Bibliorum*, complectiturque *Libros IV. Regum, Paralipomena, II. Esdrae, Proverbia, Ecclesiasten, Cantica Canticor. Sapientia. i. Ecclesiasticum.* Libros *Regum* Prologus galeatus *Hier.* praecedit. Primi duo in subjectis rubricis *Samubel*, posteriores *Malachim* adpellantur. *Paralipomenis* et *Esdrae* praefatur *Hieronymus*. Hic vero non dividitur in Libros II. sed finito primo adjecta est rubrica: *nec explicit, nec incipit*, statimque continuatur *Nehemias*, novo tamen *Capitum numero*.